



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De communione apud Missam 76

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Verum sanè est, Ecclesiam habere potestate in externis ordinatio-
nibus Domini dispensandi, moderandi & instituendi, & interdum, sed
non nisi conuenienti tempore eas diff. rendi, nunquā verò penitus tol-
lendi vel immutādi, quēadmodū Aduersarij in S. Cœna facere ausi sunt.

Cæterū ex Scriptura, ex doctrina & exemplis Mosis, Sanctorum,
Prophetarum, Apostoli Pauli, & antiquorum verorum Episcoporum,
beatorūmque martyrum, in primis verò ex allegata Epistola D. Cy-
priani, quæ tertia est libri Epistolarum secundi, non autem ab homini-
bus istis, qui omnia mandata Dei tam internas quam externas res con-
cernentia, tanta impudentia ac temeritate contemnunt, pedibusque
concubant, discere debent Christiani, quanti faciendum sit, quantaque
diligentia obseruandum, quicquid extenorū signorum & rituum
Seruator noster Christus ipse nobis mandauit & instituit. Hactenus de
isto articulo.

Sexta pars.

*De Communione apud S. Missam. Vtrum S. Cœna sine communi-
cantibus: & in una communitate congregata plures, an vero
una tantum Cœna celebrari debeat: item an homines apud S.
Cœnam absque Sacramentorum perceptione præsentes adesse
posint.*

CAP. LXXVI.

IBER Reformationis ordinauit, vt Pastores in una com-
munitate simul eodemque tempore non plures quam v-
nam S. Cœnam administrent, & uniuersum populum ad
Christianam sacramentorum communicationem fidel-
iter hortentur. Cæterū quod melius hoc sacratissimum
sacramentum ab omnibus fidelibus intellegatur, & in verum usum per-
ducat, ordinauit, vt Pastores Dominicis tantum & festis diebus vel
alijs cum tota Ecclesia Christi congregata est, S. Cœnam Domini ad-
ministrent. Hanc ordinationem calumniantur & traducunt Aduerfarij,
recipiuntque in se probare, quod non sit necessarium, ut singulis missis
tota congregatio intersit: neque etiam oportere, vt omnes præsentes
simil communiceat: sed posse missam pie celebrari, etiamsi ad eam non
tota ecclesia conueniat, simulque communicet. Atque hoc modo sub-
innuere volunt, quasi liber Reformationis doceat, Necessarium esse vt
ad unamquam missam tota Ecclesia conueniat: nullamque celebrā-
dam esse, cui non tota communitas præsens intersit, ac simul commu-
nicet: id quod in Libro Reformationis nullib[us] positum inuenietur. Sed
hoc in eo positum est, quod iam ante cōmemorauimus, nempe vt mis-
se celebrentur, quando tota congregatio collecta est, vi que in eadem
communitate non plures quam una S. Cœna administretur: deni-
que vt homines ad communicandum non cogantur, sed sedulò ac fide-

liter admoneantur; id quod Aduersarij ipsi exemplo Christi consentaneum, primumque & Christianum esse confitentur. Videat Christianus Lector, quid Liber ea de re tradat & ordinet.

Controuersiae igitur inter Librum Reformationis & aduersarios quantum ad hunc articulum pertinet, his tribus quæstionibus continetur. Quarum prima est, utrum liceat S. Cœnam Domini sine communicantibus celebrare. Altera, Utrum permisum sit, plures quam unam missam vel Cœnam Domini simul eodemque tempore celebrare.

Tertia, Utrum reprehensione careat, S. Cœna præsentem interesse, sacramenta verò non percipere.

Ad tres istas quæstiones omnes respondet Liber Reformationis vñ cum antiquis Ecclesiis, quæ adhuc verum intellectum usque huius sacrosancti sacramenti retinuerunt, sicut eum à Domino ipso per Apostolos acceperant, dicitque nullum istorum tam licitum ac concessum esse. Huius verò negationis euidentissimæ constatissimæque causæ habentur in citatis locis Libri Reformationis, ex institutione Christi, doctrina D. Pauli, dogmatibus item, traditionibus & observationibus veteris Ecclesiæ productæ. Eas inspiciat, pondererique Christianus lector simplici ac Christiana mente, & tunc iudicetur inter Librum Reformationis & Aduersarios.

Refutatio illius quod Aduersarij pro errore & abusu suo introducunt, quo missam sine communicantibus celebrant.

De Communione apud Missam.

CAP. LXXVII.

PRIMUM argumentum quod pro abusu isto adducunt, est, Dominum hoc sacramentum propterea instituisse, ut quotquot vera fide & deuotione peterent, quoties eis videretur, aut necessitas requireret, ipso frui posset, qua in re nec multitudo, nec paucitas hominum, nec tempus nec locus eos remorari debeat. Sacerdotem igitur non male facere, si solus sacramenta percipit, etiamsi nemo cum eo communicet, si tamen non omittat admonere populum, ut ad communionem frequentius se preparet.

Alterum argumentum est, Communionem huius sacramenti non consistere in externa sola sumptione sacramentali, sed præcipue in æterna spirituali. Et sacerdotem in S. Cœna non tantum orare pro præsentibus, verum etiam pro absentibus. Ad hanc thesin confirmandan citant Scripturam de Cœna Dominicâ, sanctos item Patres, Augustinum, Ignatiū, Chrysostomum, & deinde dicunt, spiritualem communionem, & orationem bene peragi, exerceri ac promoueri posse, sine sacramentali perceptione. Ac demum concludunt, Sacerdotem igitur posse missam celebrare sine communicantibus. Obseruet Christianus Lector cuiusmodi Theologi & dialectici sint Aduersarij.

Tertium